

## GLORIA IN EXCELSIS DEO.

**E**t in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te: Benedicimus te: Adoramus te: Glorificamus te: Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex celestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus: Tu solus Dominus: Tu solus altissimus Jesu Christe. Cum Sancto Spiritu in Gloria Dei Patris. Amen.

## CREDO IN UNUM DEUM.

**P**atrem omnipotentem, factorem Cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Denum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantiale Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. **ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCIO EX MARIA VIRGINE ET HOMO FACTUS EST.** Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrectus tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et Unam, sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

## SACRUM CONVIVIUM.

### Accipiendo Hostiam dicat:

**Q**ui, pridie quam patetur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem summ omnipotentem, tibi gratias agens, bene*¶* dixit fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes.

## Hoc est enim Corpus meum


**S**imili modo, postquam cœnatum est accipiens, et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas: item tibi gratias agens, bene*¶* dixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et bibite ex eo omnes.

**Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et æterni testamenti: mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.**

**S**uscipe, sancte Pater, omnipotens æternæ Deus hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis, et omissionibus, et neglegentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christiani vivis atque defunctis; ut mihi, et illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen.

### Accipiens Calicem offert, dicens:

**O**fferimus tibi, Domine, cálicem salutaris, tuam deprecantes clementiam; ut in conspectu divinæ Majestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.



**I**n spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur á te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.

**V**eni Sanctificator, omnipotens æternæ Deus, et bene dic hoc sacrificium tuo sancto nomini preparatum.

**S**uscipe, Sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, et resurrectionis et ascensionis Jesu Christi Domini nostri: et in honorem beatæ Mariæ semper Virginis, et beati Joannis Baptista, et sanctorum Sanctorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriā agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

### Ante sumptionem Sacramenti.

**D**omine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pa-cem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesia tuæ, eamque secundum voluntatem tuam pacificare, et coadunare digneris. Qui vivis, et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

**D**omine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuem mundum vivificasti; libera me per hoc sacrosanctum Corpus, et sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis; et fac me tuis semper inhærente mandatis, et à te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patri, etc.

**P**erceptio Corporis tui, Domine Jesu Christie, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem; sed pro tua pietate proposita mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad mediationem Qui vivis, et regnas cum Deo Patre, & eodem Deo Patri, etc.

### In fine Missæ ante Benedictionem.

**P**laceat tibi, sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, et præsta ut sacrificium, quod oculis tuæ Majestatis indignus obtuli tibi sit accepibile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante, propitiabile. Per Christum, etc.